



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

26. Artes & literas sibi debent Sinae quas habent, nullis autem externis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

quorum ordo, albo omnes pullati, tristi silentio, & luctu elaborato mœsti: postremo sublata in ferculum succollantibus ad triginta, & pluribus vespillonum effertur sandapila; proximè filij squalidi, emaciati asperitate luctus diu iam obiti, & quasi ad omnem ingressum defecturi, tot se lamentis conficiunt, vt raptari ad mortem, non deducere mortuum videantur, pompam claudunt, in sellis gestatoriis femina, velo quidem submotæ ab oculis, sed desperabundo vlulatu, & ploratibus aures omnium miserè lacerantes. Postquam lento incessu vrbe procul ad locum sepulchri ventum est, instaurantur cerimonæ, suffitus, cartatum incensio, funebres machinæ comburuntur, demumque infelix tumulatur, hi nobilibus exequiis ritus, aliis pro ratione personarum & opum, etiam aptantur. De funeribus regijs dicendum veniet in rebus anni 1614. in quas Reginae mors incidit. Mos est tamen quibusdam Prouincijs semiuustum cum sandapila cadauer, vrna pulcherrima claudere, & in altissimo fluminis alueo sepelire, vt hoc illi breue comburium, perenni aquarum refrigeretur lapsu. Hactenus virtutum honesta species, quæ Sinas exterius mirificè ornat, commendatque mortalium oculis; nunc de ingenio, eiusque præstantia primum in operibus artium, deinceps studiis literarum. Prius tamen notandum Sinenses quasi alterum per se orbem efficerent, à quibusvis aliis gentibus diuersum, nec peregrinari vnquam ad eas voluisse, nec eas ad se admittere, quo factum haud dubiè, vt rerum multarum cognitione destituerentur, quam ex mutua consuetudine aliarum nationum assequi potuissent; sed magna gloria sibi vnus debent artium inuenta quæ apud cæteros fere pulcherrima eminent. Imo, si rectè coniiciunt aliqui, debet Europa discipula Magisterio Sinarum, calcographiam, cartam, nauticam pixidem, tormenta ænea, & iis explodendis igniarium puluerem, quod mihi haud ita creditu facile videtur, cum artes quamplurimas Sinis penitus ignotas habeamus, ex nostratium prognatas ingeniis, à quibus nihilo ægrius excogitari potuerunt, quæ Sinarum inuentioni tam largè consecrantur; in Marco autem Polo, & Hairone Armeno lepidè luditur diuinando, cum iactantur, modo dictas artes ab Sinis ad nos transulisse quadragesimo ab hinc anno, de quo suppetet nonnihil paulo post. Sinas quidem in multis eximio operum artificio superamus, non quod ipsi tantumdem non valeant, sed quod vili mercede pretiosum laborem stultè vendi putent, quin & artificum peiores viris ferè principibus se locant, quorum est scilicet improbius soluendo parcitas, hinc peritiæ vim omnem clari opifices absumunt in adulteranda laborum suorum specie. Nam si forent sua operibus prætia, mira omnino essent præstituri vt produnt quoties sperata præmia ingenium acuunt; quòd factum ab iis cernimus, in coreumatis gemmarum, in auro tractando in sculptura crystalli, & horariis machinis quarum rotatam fabricam per se didicere ex sola attentè oculi disciplina; in perspicillis item ætati cuiuslibet & visui concinnandis, quorum olim materiam vi-

tream

26.

Artes & literas sibi debent Sinæ quas habent, nullis autem externis.

27.

De subtilitate manutij operis.